DISPUTATIO MEDICA,

DE

HYDROPE.

Quam,

DIVINO FAVENTE NUMINE,

DECRETO & AUTORITATE Nobilissimi & Excellentissimi in inclyta ac pervetusta Rauracorum Academia, Ordinis Medici,

Pro SUMMIS in SACRA ARTE MEDICA Honoribus & Privilegiis DOCTORALIBUS legitimè & solenniter consequendis.

Publico Eruditorum Examini subjicit

LUDOVICUS HOMMILIUS
Stolpens. Pommeran.

Ad Diem Octobris, An. M DC LII.

Loco horisque solitis.

BASILEÆ,
Imprimebat GEORGIUS Decker Universitatis Typographus.

ILLUSTRISSIMO, REVERENDISSIMO PRINCIPI ac DOMINO,


DOMINO

ERNESTO BOGISLAO, DUCI CROYÆ & ARESCOT,

SACRI ROMAN. IMPERII PRINCIPI,

Electo Episcopo Camminensi, Marchioni in Havre, Comiti in Fontenoy & Bayon; Domino in Dommartin & Vinstingen, &c. &c. &c.

Principi ac Domino meo Clementissimo.



Um laborem hunc Chartaceum, *Celsissime Princeps*, inscribere cuiquam anxiè imprimis mecū meditor, cujus sub præsidio ille, in simul & ego, ab aliorum tutus invidia apricari possim, animum equidem occupavit statim *Celsitudo Tua* cui scripto hoc devotè insinuato & me ipsum manciparem protinus. Sed, libere fateor, in diversum me tamen traxit cogitantem operis & materiam & humilitatem Styli Tanto Nomine ferè indignum, cum polito Sermone, fortique Consilio solum Principes gaudeant. Exempla nihilominus ob oculos habens Illustrium, inter cæteros Mar. Antonii Imperat. qui pupillorum controversias ipsemet judicasse, nec tenuiores ingressu prohibuisse legitur; Similiter Rudolph. I. Imperat. Satellitibus suis præcipientis: Date hominibus me accedendi locum & facultatem; Præsertim Alexandri Magni, qui aliquando frigore penè correptus igni assidens, gregarium è suis militem algore propè mortuum & torpentem, sua sede & loco suscepit; nihil insuper veritus, summam humanitatem *Tuam, Clementissime Princeps*, qua radias accedo submissa hac petitione, hoc quale est exiguum consecratum *Tibi, & Gratiam Tuam* subeuntem me, fastidire ne velis. Incolumem *Te cum Illustrissima Matre* superi diu servent Tuis & mihi:

Clementiæ Tuæ

perpetim devoto

LUDOVICO HOMMILIO.



In Nomine S. Sanctæ & individuæ TRINITATIS

DISPUTATIO MEDICA DE HYDROPE.

THESIS I.



QUANTUM ad affectum hunc Græcis ὕδρωπα dictum, ejus in principio notanda venit tum *Paronymia*, tum *Homonymia*. Quod ad primum, nomen suum communi consensu Hydrops habet ἀπὸ τοῦ ὕδατος, ab aquoso humore. Nam Græci ὕδωρ aquam vocarunt inquit *Cæl. Aurel. l.* 3. *Tard. Paß. Cap.* 8. *Martinius* derivat ab ὕδωρ aqua & ὤψ facies, quia Hydropici aquosam faciem præ se ferunt.

II. A' Græcis dicitur ὑδερίασις, ὕδερος, κατάστασις ὑδερώδης, καὶ νόσημα ὑδερικόν. *Plinio* quoque Hydropisis & *lib.* 7. *cap.* 18. Aqua subter cutem fusa; *Horatio* aquosus languor; *Aliis* morbus hydropicus; morbus intercutaneus, seu intercus; Aquosa passio; intercus aqualis; Languor lymphaticus; *Paracelso*: Resolutus humor; seu ros humidus dicitur. *Barbari* hydropisiam vocarunt; unde *Italorum* Hydropisia: *Gallorum* Hydropisie: *Hispanorum* Hydropisia: & *Anglorum* contractum Dropsie. Vulgo sine adjectione Aqua, *Germanis* das Wasser/ alias die Wassersucht/ Wasserfülle/ oder die Geschwulst.

III. *Homonymiam*, hujus affectus quod spectat, sumitur is

vel latè, vel strictè: Latè non tantùm tres propriè dictas Hydropis species suo ambitu complectitur, sed alias œdematosas partium singularum intumescentias, quæ nomina sua à partibus affectis nanciscuntur: Ut capitis ὑδροκέφαλος, & ab effigie Talpa; *Umbilici* ὑδρόμφαλος; *folliculi genitalis* aut *testis* ὑδροκήλη, &c.

IV. In stricto significatu (quo & nos eam consideramus) Hydrops est tumor p.n. totius corporis, aut abdominis, pedumque, ex materiâ sæpissimè aquosâ & serosâ pituitosa, flatulenta, alendo corpori ineptâ, vitio hepatis, lienis, & sanguificationis potissimum proveniens.

V. Ejus species [quas veteres à materiâ distinxerunt] rectè à Medicis statuuntur tres: Α'σκίτης, id est, Utricularis, τυμπανίτης, i.e. Tympania & denique ὑποσάρκα καὶ ἀνασάρκα: seu λευκοφλεγματία, i.e. Pituita alba *Baccanel. lib.3. de cons. Med. pag. m.*449.

VI. Α'σκίτης, est tumor abdominis, conjunctus cum femorum pedumque, aliquando & scroti tumore, ortus ab humore aquoso, seroso & salso in ejusdem cavitate collecto. Accidit tamen aliquando, ut humor hic, non in cavitate abdominis, sed vesicis quibusdam partibus ventris inferioris intus adnatis, includatur, ut historiam recenset *Mauritius Cordeus Comm.5. in l.1. de morb. mulier.*

VII. Dicitur ita ἀπὸ τοῦ ἀσκοῦ, quod Utrem significat; gerunt enim ita affecti in abdomine aquam non secus ac in Utre. Hoffman *lib. 3. instit. Med. cap.* 67. Et hic quidem affectus propriissimè Hydrops vocatur, cæteræ verò species per hujus similitudinem ita dicuntur, ut rectè notat. *L. Jachin. in 9. lib. Rhas. cap.*52. Unde, ut habet *Sen. lib.3. prax. part.6. sect.2. cap.3.* dum Scriptores hydropem absolutè nominant, Ascitem ferè intelligunt. A' barbaris hic affectus voce corrupta Asclitis dicitur. *Savanarol. tract.6. cap.*14.

VIII. Differentiæ Ascitis variæ à variis enarrantur, alius enim cum febre, alius sine febre, alius primarius, alius secundarius, recens, inveteratus, levior, gravior, exquisitus, & non exquisitus, &c. Ratione causæ continentis itidem varius, plerumq;

rumq; enim, ut habet *Sen. l.c.* aqua illa est pallida & citrina & urinam refert, interdum lutea & viridis, qualē observavit *Piso & Marcellus Donatus, Histor. med. mirabil. lib.4. cap.21.* aliquando flava in nigram vergens, teste *Christ. Guarin. Consult.194.* Nonnunquam loturę carnium recens mactatarum persimilis, *Fabr. Hild. cent.2. observ.57.* Plane cruentam & loturæ carnium saturatæ, sanguine consimilem se vidisse asserit *Holl. scholiogr. lib.1. de morb. inter. cap.39.*

IX. Tympanites est tumor ab dominis, proveniens utplurimum à copia flatuum, in illius cavitate & ipsis nonnunquam intestinis, inclusorum.

X. Dicitur ita ἀπὸ τοῦ τυμπάνου, quia venter in hoc affectu instar Tympani distēditur, & concussus tympani sonum edit. Alio nomine Tympania & ab *Hipp. lib.4. aph.11.* ξηρὸς ὕδρωψ. i.e. siccus Hydrops, ad differentiam humidi, ab humore in eo prædominante sic dicti. Nota, tam stupendum in molem interdum venter in tympanitide attollitur, ut metus sit disruptionis, *Forest. lib.19. observ. à.43. ad 46.*

XI. Differentiæ Tympanitidis eædem ferè sunt quę Ascitis. Alius enim recens, inveteratus, levior, gravior, exquisitus & sincerus, vel non exquisitus. Sunt tamen qui sincerum dari negant, ut idem ex *Cœl. Aurelian.* statuit *Forestus l.c. observatio.43.* consentit *Fernel. lib. 6. Patholog. cap.8.* & alii. Exempla quę in contrarium proponit *Plater. & Smeti. Miscell. lib.7. epist.4.* per quam sunt rara.

XII. Anasarca est tumor totius corporis, ex materia pituitosa, quæ à jecore læso proveniens partibus nutriendis perfectè agglutinari nequit.

XIII. Dicitur à subjecto, scil. carnibus, quasi ἀνὰ σάρκα, i.e. per carnem, unde etiam ὑποσάρκα, κατασάρκα, σαρκίτης, ὑποσαρκίδιον, dicitur. *Serapio* & alii *Arabes* vocant Hydropem carnosum *Hipp. lib.1. de morb.* λευκὸν φλέγμα nonnulli, ut & antea monitum, λευκοφλεγματίαν appellant. Aretæus tamen his contrarius *lib.2. de sig. & caus. diut. morb. cap.1.* quod probat *Vega 3. de Art. med. 8.10.* inter ἀνασάρκαν &

λδυκοφλεματίαν distinguit; Sed rectè meo judicio reprehenditur à *Sen. l.c. cap.5.*

XIV. Differentiæ ejus, quæ plurimæ sunt, ex superioribus huc referri possunt.

XV. Progredimur ad Causas Hydropis in genere, quæ est vel proxima seu immediata, Medicis continens dicta, humoris scilicet maximam partem aquosi, nonnihil tamen serosi salsi & pituitosi vel flatuum nimia abundantia, cui præterea & alia heterogenea permiscentur. Sic in Tympanite flatus, interdum humores biliosi *Forest. lib.19. observ.27. in Schol.* interdum portio aliqua ipsius sanguinis, se intermiscet. Huc facit experientia *Hercul. Saxon. Observ. lib.3. pract. cap.22.*

XVI. Vel Remota sive antecedens, ad quam referimus, omnia quæ humores suprà nominatos in corpore generare & cumulare apta sunt. Estq; vel προηγουμένη vel προκαταρκτική. Causam proëgumenam communiter statuunt, læsam sanguificationem, cujus officina cum potissimum sit Hepar, exinde in omni fermè Hydrope hepar affici asserunt.

XVII. Afficitur verò Hepar, vel primariò vel secundariò. Primariò seu per essentiam, quando ipsius hepatis imbecillitas, intemperies imprimis frigida, soluta item continuitas, inflammatio, obstructio scirrhi, &c. nec non ejusdem parvitas ab *Avicen. & Alex. Massar. lib.3. cap.16.* annotata, causæ sunt læsæ sanguificationis, intemperies itidem calida ex accidenti Hydropem producere valet, docente *Hipp. 2. prognost. Galen. Comment.2.* quatenus scilicet dissipando calorem hepatis nativum, intemperiem in eo frigidam causatur.

XVIII. Secundariò verò, sive per Sympathiam hepar afficitur, vel à toto corpore, intemperie imprimis frigida laborante, vel à certis partibus nutritioni viscerũ potissimum inservientibus, dum scil. affectæ noxam suam lege consortii jecori communicant. Sic Hydrops oriri potest, si ventriculus, intestina, mesenterium, lien, omentum, renes, vesica, uterus, pulmo, diaphragma, aut aliæ partes circumjacentes, sua munia perperam exsequantur: idem potest accidere à suppressis evacuationibus consuetis, ut mensium, varicum, hæmorrhoidum solutarum repentina & omnimoda cessatione, vel earundem

rundem nimio profluvio, à sanguinis itidem subita & ἀθρόως facta profusione, purgationibus vehementioribus, &c.

XIX. Ex dictis autem nonnullæ etiam ἰδιοπαθῶς hydropem inducere possunt, inprimis lien ut vult *Hipp. lib.2. περὶ πάθων & lib.2. de morb. mulier.* quo in loco hydropis generationem ex liene, integrè describit. Hinc fit quod *Galen. de Sympt. different. cap.4. & 5. de loc. affect.* item *Avicen. lib.3. Fen.14. tract.4. cap.8.* lieni sola medicamenta destinant. Renes quoque & solæ venę mesaraicæ læsæ, idem efficere valent, ut constat ex *Gal. lib.2. de Natur. Facul. cap.8. & 3. de Sympt. caus. cap.2.*

XX. Restat Causa procatarctica, ad quam pertinet omnia illa quæ extrinsecus accedunt & calorem innatum Hepatis, aut aliorum viscerum vel positivè vel privativè debilitant, ac extingunt. Suntque vel necessariæ quas evitare non possumus, vel non necessariæ. Necessariæ sunt errores in sex rebus non naturalibus commissi. Non necessariæ seu quas declinandi datur potestas, ut casus ab alto, percussio aut contusio super Hepar, aut Hypochondria, potus, balnea intempestivè adhibita, medicamenta nimis calida, opiatorum, aliorumque frigidorum immodicus usus, &c.

XXI. Atque hæc de causis Hydropis in genere, progredimur ad singulas species: ubi primò se offert ASCITES, cujus causa ut supra *Th. 6.* dictum est humor aquosus, serosus & salsus, in abdominis cavitatem effusus. De causis autem antecedentibus, aquam hanc progenerantibus, maximus est Medicorum dissensus. Veteres culpam, maximam partem, ad frigidum referunt jecur, contrà recentiorum nonnulli volunt, Ascitem non tam ex Hepate quam liene oriri, nec tantum ex liene, sed & ex intestinis perforatis, ex renibus serum non attrahentibus, ex obstructione partium urinæ dicatarum, sero per vasa regurgitante & transsudante per abdomen. Idem judicium ferunt de utero, humores abdomini submittente & de Hydrope ex colliquatione, in quo jecur non esse primariò affectum arbitrantur.

XXII. Nos Hepar per omnia non excludimus, attamen quia, in sectis Hydropicorum cadaveribus, hepar nonnunquam

quam ſalvum repetitur, quale quid obſervatum à *Nicolao Fontan.ex.34.* haud negandum putamus, lienem, renes, aliasque partes interdum affectui huic cauſam ſuppeditare: potiùs enim autopſiæ quam ratiunculis in contrarium excogitatis ſubſcribimus. Ubi autem cauſa hæreat & per quas vias in abdominis cavitatem perveniat, cum ſimiliter à Medicis in longam trahatur quæſtionem, nos brevitatis ſtudio omittimus. Videri de eo poteſt. *Sen.l.c. quæſt.2.& 3.& alii.*

XXIII. Tympanitis cauſam continentem diximus *Th.9.* eſſe maximam partem, copiam flatuum in abdominis cavitate & ipſis nonnunquam inteſtinis contentorum. Generantur autem flatus hi vel vitio materiæ, vel imbecillitate caloris, aut etiam, ut aliis placet, ejusdem vehementia: Ut de cauſis procatarcticis nihil addamus. Notandum tamen hic, flatibus hisce humorem quendam nebuloſum, ut loquitur *Aëtius*, aut ſeroſum, permiſceri.

XXIV. Anaſarcæ cauſa continens, ut monitum *Th.12.* Eſt humor pituitoſus, ab imbecillitate hepatis procreatus, qui quoniam ad partium nutritionem ineptus eſt, ſubter cutem per univerſum corpus colligitur, habitumque corporis inſigniter deformat. Remotiores cauſæ ſunt cibi & potus frigidi, humidi, intemperies totius frigida, crapula, &c.

XXV. Cæterum obſervandum tres has hydropis ſpecies rarisſimè, imò ferè nunquam, ſolas reperiri, ſed utplurimum inter ſe conjungi, interdum duas. (Exempla Tympanitis cum Aſcite conjuncti extant apud *Platerum. lib.3. Tinell. conſ.19. Tulp. lib. 2. cap. 35.* ſimiliter Aſcitis cum Anaſarca apud *Plat. Cent.3. Cur.36.*) interdum etiam omnes tres, quale quid à *Viro Excell. Dn. Johan. Jac. à Brunn. An.1636. in noſocomio hoc Baſilienſi, obſervatum fuit.*

XXVI. Pergimus ad ſigna, quæ ſunt vel Diagnoſtica vel Prognoſtica, Diagnoſtica rurſum vel communia, vel uni aut alteri ſpeciei propria. Signa diagnoſtica communia ſunt, Tumor & inflatio corporis, difficultas ſpirandi, gravitas urinæ ac ſudoris diminutio, dolor in latere ſive dextro ſive ſiniſtro, coloris fœditas, diminuta appetentia, ſitis aſsidua, &c.

XXVII. Pro-

XXVII. Propria ſpecialia & primo quidem *ASCITIS* ſunt: Tumor primo Abdominis, deinde pedum & Scroti, (nonnunquam tamen & ab inferioribus incipit) æger commotus de latere in latus, fluctuantis murmurantisque aquæ ſonum percipit *Galen.* 4. *de dign. Pulſ. cap.*3. inferiora intumeſcunt, ſuperiora verò gracilia redduntur; ſi æger ſupinus ponatur, tumor vel per univerſum abdomen, vel ad latera defluit, ſi verò erectus ſedet, ad oſſa pubis prolabitur, ſitis plerumque malè cruciat, &c. Nam, ut ait *Poëta.*

Quo plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ.

pulſus parvus, creber, ſubdurus, cum quadam tenſione *Gal.*4. *de cauſ. pulſ. cap.*24. Urina admodum pauca & ferè craſſa, morbo invaleſcente Diſpnœa plerumq; ſequitur, ob copiam aquę, diaphragmati incumbentem; Tuſſis nonnunquam comitatur, ſeu ex compreſſione diaphragmatis; ſeu ex aquæ in thoracem penetratione, unde metus ſuffocationis; poſt impreſſionem digitorum, manifeſta in cute veſtigia remanent, quæ tamen ſenſim evaneſcentia non tam diu perdurant ac in Anaſarca.

XXVIII. *Tympanitis* propria ſunt: Venter inſtar tympani tenſus atque pulſatus tympani ſonitum edens. *Gal.*4. *aph.*11. *& de cog. ex Pulſ. cap.*3. Ejuſdem levitas, quia licet in tumorem exſurrexerit, exigui tamen eſt ponderis, quia flatibus tantum repletus; Ructus & crepitus crebro prorumpunt, borborygmi & rugitus audiuntur; ægro ſupino jacenti, tumor non tam ad latera cadit quam in medium attollitur, digitorum impreſſiones derepente evaneſcunt, pulſus longior, non imbecillis ut in Aſcite; Urina cruda aquea, vel leviter tincta, cum hypoſtaſi, & nubecula vel perpauca, vel omnino nulla; præceſſerunt rugitus ventris, tormina diuturna circa umbilicum, lumborum dolor, &c.

XXIX. LEUCOPHLEGMATIÆ propria ſunt, tumor univerſi corporis, veſtigiorum poſt digiti impreſſionem remanentia, corporis mollities, pallor, laxitas, ſomnus gravis, pulſus parvus, creber, & inæqualis, urina alba, tenuis, cruda; Febris ſæpè ſubſequitur lenta.

XXX. Hæc de ſignis DIAGNOSTICIS: ſequuntur PROGNOSTICA, quæ ſimiliter vel propria ſunt vel communia. Communia: Omnis Hydrops gravis, & in ſe periculoſus eſt morbus. Non eadem facilitate in ſenibus quàm in juvenibus, nec eadem in liberis quam in ſervis curatur *Cor. Celſ. lib.3. cap.21.* Recens non ſemper curatu eſt difficilis, inveteratus è contra periculoſus, ob cauſarum & Symptomatum incrementum, imò corruptis penitus viſceribus omnino lethalis *Cel. l.c.* Hydropes graviores fiunt, ſi corpus alio morbo labefactatum adhunc delapſum fuerit. Tuſsis hydropico ſi ſuperveniat, deſperatus morbus eſt. *Hipp. Sect.7. aph.47.* Ulcera in corpore orta non facilè ſanantur. *ſect.6. Aph.8.* Aqua intercutem laborantes ſi urantur aut ſecentur, aut pus, aut aqua confertim effluxerit omninò intereũt, ibidem *Aph.27.* Ex furore hydrops bonus eſt. *Sect.7. Aph.5.*

XXXI. Prognoſtica propria ſunt primo de Aſcite. Hydrops Aſcitis periculoſior Tympanite & Anaſarca. In Aſcite ſi oriatur febris cum urina pauca & turbida periculoſum. *Hipp. in coac.* Quibus Hepar aqua refertum erumpit in omentum, iis venter aqua repletur & moriuntur *Sect.7. Aphor.55.* Maculæ in cruribus lethales *Hipp.7. Epidem.* Multum mingere & ſitim perferre in Aſcite bonum.

XXXII. Secundo de Tympanitide: Tympanites inter omnes hydropis ſpecies periculoſisſima eſt; habita tamen ratione circumſtantiarum, *Aëti. t.3. ſer.2. cap.20.* in ſicco hydrope ſtillicidium urinæ accedẽs malum. *Hipp. in Coac. t.2. aph.19.* in hydrope ſicco ſi in urina exiguum ſedimentum appareat malum ibidem. Si in tympanite eruptiones ventoſitatis & flatuum per os & anum continuò adſunt, eæque multæ, bonum. Quibus inteſtina contorquentur & circa umbilicum cruciatus, lumborumque dolor adeſt qui non diſcutitur, nec purgatione, nec aliter, in hydropem ſiccum firmatur. *Sect. 4. Aph.11.*

XXXIII. Tertio de Anaſarca: Hæc inter omnes hydropis ſpecies minus periculoſa *Leon. Jacchin. in 9. Rhas. cap.52.* Anaſarcâ vexato ſi vehemens alvi profluvium ſuccedat, morbum

bum solvit *Sect.* 7. *Aph.* 29. Omnia sunt vehementiora, si eo tempore ægrotet quo tempus ipsum morbo opem fert, quemadmodum febri ardenti æstas, hydropico hyems *Sect.* 8. *Aph.* 8. Hydropicis si aqua ex venis in ventrem confluxerit, morbus solvitur. *Sect.* 6. *Aph.* 14.

XXXIV. Cura tandem restat, quæ commodissimè secundum indicationes, à tribus potissimum indicantibus desumptas instituatur, indicantia sunt. *Morbus.* Morbi *causa* & *vires* ægri. Morbus hic est Tumor. p.n. qui cum sublata causa evanescat & præter sui ablationem nihil indicet, plura de eo impræsentiarum disserere, supervacaneum puto.

XXXV. Causam continentem quod concernit, ea ut ex superioribus patet, est vel humor, vel flatus, quorum uterque sui ablationem indicat. Humor quidem, qui totâ naturâ à corporis substantia est alienus, sui eradicationem postulat, quæ peragenda evacuantibus & derivantibus per meatus tum sensibiles, tum insensibiles. Flatus verò sui dissipationem indicant. Similiter intemperies hepatis aut aliorum viscerum alterantia, obstructiones aperientia, & detergentia, scirrhi & tumores duri emollientia, nimius sanguinis fluxus, sanguinem sistentia, alia alia requirunt. Vires denique si præsentes sui conservationem, amissæ sui restaurationem indicant. Hæ sunt indicationes, quibus satis faciet diæta, Pharmacia & chirurgia rectè instituta.

XXXVI. *Diætetica* administratur, recto sex rerum non naturalium usu, qui semper morbo sit oppositus. Itaque æger aëri se committat, puro, lucido & ad calorem & siccitatem inclinanti. Cibi sint εὔχυμοι, εὔπεπτοι & εὔτροφοι, sique medicamentosi fuerint, calefacientes & siccantes eligantur, dulcia, & flatulenta omnia, angue pejus fugiantur; imprimis usus petroselini, allii, sem. fœniculi, carui, anisi, coriandri, cinnamomi, cariophillor. & aliorum aromatum, frequens sit. Avium sylvestrium, præcipuè alaudarum, esum commendat. Nicol. Florent. Potus quum fieri potest, sit paucissimus, isque attenuans & urinam movens, &c. si tamen sitis valdè urgeat, illa fallenda est, vel oris collutione cum aqua

chalybeata & aceto, vel frequenter mandendo grana aliquot mastiches, vel quidvis ejusdem facultatis, Aquam enim plurimam in os eliciet. Motus Hydropicis concedendus mediocris, qui calorem nativum excitet, poros & meatus corporis aperiat, alimentique distributionem promoveat. Observandum tamen, ut cibum præcedat, ne is incoctus, & crudus in habitum corporis rapiatur. Navigatio in mari prodest. vid. *Schenck. & Holler. Schol. lib. 1. de morb. inter. cap. 39.* Somnus sit paucus, isque in stratis duriusculis, quibus herbæ odoriferæ & flatus discutientes substerni possunt. Vigiliæ quia exsiccant, somnum superent. Alvi & urinæ excrementa, si assumptis non respondeant, provocanda sunt, Flatus minimè inhibeantur, imò nulli ægro absurdum videatur edictū Claudii Imperatoris veniam dantis, etiam in convivio crepitus ventris emittendi, ut refert *Sueton.* 4. *lib.* 16. Venus omninò vitanda in hoc affectu. Similis videtur ratio animi pathematum, solo excepto gaudio.

XXXVII. Hæc de diæta sufficiant: progredior ad PHARMACIAM, quæ pro hydropis specie varia est. In Ascite aqua in abdomen effusa evacuanda est, præmissa crassorum, si fortè adfuerint, humorum præparatione. Evacuatio illa instituitur; primò per alvum, hydragogis, tum mitioribus, tum fortioribus. Secundò Diureticis, ut asparag. petroselino fœniculo, ligno Sassafras. Baccis juniperi, sale absynthii, Spiritu Salis, &c. Tertio sudoriferis & exsiccantibus. Scabiosa, card. bened. Flor. Sambuci, guaja. C. C. lap. bezoart. Theriac. Mithridat. &c. quorum catalogum qui desiderat, adeat practicos & uberrimum inveniet campum.

XXXVIII. Exterius applicantur cataplasmata, unguenta, balnea, fomentationes & emplastra. *Wierus*, *Helmontius & Gisbertus Horstius* testantur Bufones sylvestres qui in nemoribus reperiuntur discissos & renibus foris alligatos, multos ab Ascite liberasse, aquas hydropicorum per urinas educendo.

XXXIX. In tympanite curatio maximam partem similis, curationi Ascitis, nisi quod flatus discutientia sint adjicienda

jjcienda, & materia five causa flatuum procreatrix educenda, primæque coctionis organa roboranda. Flatus dissipant calaminta, carui, Anisum, Fœnicul.

XL. Si verò ut observavit *Christophorus à Vega lib.3. art. Med. Sect.8. cap.12.* à causis calefacientibus sit, tum hepatica frigida, cum aperientibus minus calidis, conveniunt.

XLI. In Anasarca crudus & inelaboratus succus, præcipuè in ambitu corporis collectus, præparandus, digerendus, & evacuandus est. Præparantia habemus quamplurima. Vt: Syrup. de Absynth. Mel rosar. Oxymel. & quæ sunt alia. Purgantia sunt tum mitiora: Ut Syrup. rosar. Solutivus cum rhabarbaro, de eupatorio. Hiera simplex & composita, &c. Tum fortiora, radic. ireos nostratis ejusque succus, Gratiol. Rad. Esul. &c.

XLII. Verùm, ut rectè monet *Riverius*, in omni purgantium administratione, purgantia saltem validiora non sunt frequentius usurpanda. ut docet *Galen. 9. κατὰ τόπους*, quia corpus debilitant, ut postea major aquarum proventus exoriatur. Purgationum vice clysteres injici possunt, quibus flatus discutiantur, aquæ educantur, & venter imminuatur. Formulas vide sis apud *River. lib.6. prax. c.6.*

XLIII. Huc pertinent quoque sudorifera & diuretica, quæ influentem humorem avertunt & derivant, seriem eorum habes apud practicos. In primis verò per urinam expurgant Cœpe, Porrum, & Allium; cujus continuo esu plures ab aqua liberatos esse testis est. *Forest. lib.19. observ.27.* Posthæc diaphoretica in usum vocanda, quæ per insensibiles corporis meatus materiam peccantem educunt; decoctum Sassafras, lig. guajaci, salsæ parillæ, Theriaca, Mithridatium, Chymici commendant Antimonium diaphoreticum. Huc quoque faciunt quæ ad extra adhiberi solent, puta balnea, fomentationes & cataplasmata varia, secundum artem præparata.

XLIV. His peractis restat viscerum, Hepatis, inprimis & ventriculi, &c. corroboratio, quæ lege methodi peragitur medicamentis corroborantibus, unicuique visceri pro-

priè dicatis, de quibus iterum Authores practici prolixè legi possunt.

XLV. Restat igitur tertium & ultimum curationis membrum, quod uti diximus est *Chirurgia*, quæ absolvitur, vel cauterisando vel Scarificando. Cauteria & Scarificationes vitandas duco, metus enim est, ne materia illa serosa, maligna, ac salsa affluens, gangrænam inducat.

XLVI. Venæsectione inquit *Galen. in Com. in lib. Acut.* nullus Ascitem vel Tympaniam curaverit. Utilis tamen in principio Anasarcæ, quæ originem suam, ex solenni evacuatione suppressâ, aut alia insigni evacuatione, ducit. Miratur nihilominus *Heurnius*, in disputatione de Hydrope, *thes.6.* cur venæsectio in reliquis hydropis speciebus in exilium mittatur, cum & ipsa interdum prodesse possit, ut probat ibidem.

XLVII. In Ascite aliis non juvantibus, nobile & potens est remedium παρακέντησις, ut sua experientia præ cæteris probat. *Bartholomæus Cabrolius*, verùm caute administrari debet, qua de re consulatur, inter alios quamplurimos, *Sennertus lib. 5. par. 1. Sect. 2. cap. 7. & Guarin. Caus. 474.* Alii ut *Platerus* & *Massarias* Scroti apertionem præferunt: alii Scarificationem in cruribus commendant, ut *Galen. lib. 9. de comp. med. secund. loc. cap. 3. Aëtius, tetrab. sermone 2. cap. 30.* Quicquid fiat maxima in omnibus cautione opus est, ut monent Practici.

XLVIII. Tympanites solum cucurbitulas admittit sine Scarificatione, vel plurimas, vel unam magnam, cum multa flamma adhibitam, qualem *Paulus Ægineta lib. 3. cap. 48.* toti ventri, & umbilico præcipuè applicat.

XLIX. Veteres crediderunt incantationibus hydropem posse curari, annotante *Mercuriali lib. 3. de affect. infer. ventr. cap. 24.* nam relatum est de Imperatore Hadriano, cujus sæpè meminit Galen. liberatum eum esse ab Hydrope per incantationem, sed quanquam aliqui tribuant fidem his medicamentis, ea tamen ab omnibus negligenda sunt, qui se medicos rationales profitentur.

L. Atque hæc ſunt quæ de tribus hydropis ſpeciebus, Aſcite, Tympanite & Anaſarca impræſentiarum tradere propoſui quarum natura & curatio, quamvis Eruditisſimis, Clarisſimorum Medicorum Scriptis, variè illuſtrata ſplendeſcat, earundem tamen faciem, hic rudi ſaltem minerva delineaſſe, mihi ſufficiat.

TRIUNI ET SUMMO ARCHIATRO DEO T. O. M. ſit laus, Honor & Gloria Sempiterna.

PALLAS HOMMILIO interprete THEODORO WOLDERO.

Quod legis aëriâ mitto Tibi Pallas ab arce,
Pectoris Hommili *maſcula cura mei.*
Hactenus obticui, nec enim Tua *verba per auras*
Credideram, volucres rapta tuliſſe Notos.
Obticui, ſed enim non raro cura recurſat,
Meq́ue jubet ſteriles usq́ue dolere moras.
Ah quoties dixi, vereor ne forte tenellum,
Alterius capiat, perfidus urbis Amor.
Ah quoties dixi, vereor ne forte timentis
Oſcula ſectetur bella puella Viri.
Ah quoties dixi vereor ne forte Lyæo
Percitus, alterius, tecta pudenda petat.
Quæ dixi, timuiq́ue ſimul, potuiq́ue timere,
Suſpicor hæc dudum complacuiſſe Tibi.
Cauſa moræ nam nulla Tibi, *cur ire recuſas,*
Quid præferre juvat marcida dona Polo?
Hoc eſt quod monui noſtras cum linquere ſedes
Velles, obſcuras quærere cumq́ue plagas.

Heu

Heu mihi ne quondam referat fatalia de Te
Nuncius, ac dicat, quod petis, alter habet.
Tum lacrumas lacrumæ truſerunt ore cadentes,
Brachia ſunt ulnis & tua junctа meis.
Diva potens dixti, quocunq; vocaveris ibo,
Extinguent noſtras nulla pericla faces.
Sic Paris Oenonen miſeram cum linqueret, atq;
Præferret Grajæ turpia dona miſer
Dixit. & Æneas triſtem cum perdere Dido
Pergeret, ante quidem talia verba dedit.
Talia verba refert, ſed inania verba dediſſe
Hermione, fratrem quem vocat atq; Virum.
Pœna tamen cunctos ſubito pede, crede, ſecuta.
Durior illa ſolet Tarda venire magis.
Aſt mea quis ſubito confundit pectora gratus
Horror, & ex animo triſtis amaror abit?
Fallor, an immenſæ ludunt mea lumina curæ,
Advenit aut mentis ſpesq; decusq; meæ?
Advenit, & veniam reditûs petit ore diſerto,
Tardi, meq; diu dona petita, petit.
Quid moror optatâ juvenem decorare Coronâ?
Addere ſacratæ myrtea ſerta Comæ.
Hæc gere. quæ ſortis nunquam Tibi *Turbo profanæ*
Tollet, quæ nullo ſunt peritura die.

EPIGRAMMA
AD EUNDEM.

FUnereas vacuamus aquas, ſubmergimur undis,
Et fata in tumido corpore dira latent:
Ecce ſimul nobis lethum ſumus atque feretrum,
Quique tumet, funus ſuſcitat ipſe ſuum.
Hic gravis accreſcens albo cum corpore languor
Acquirit Genio digna brabea *Tuo.*

Deproperabat

DAVID STOLLIUS.